

CHRISTOPHORI
BESOLDI, JC. ET
ANTECESSORIS
TUBINGENSIS,

DE ÆRARIO PUBLICO

DISCURSUS:

*Nunc iteratò editus, varièque
auctus.*


Cum Indice rerum locupletissimo.



ARGENTORATI

Sumptibus Heredum LAZARIZETNERI.

ANNO M. DC. XXXIX.



Verè Nobili & Amplissimo Viro,

**DN. MARTINO CHEMNITIO, JC. EMINENTISSIMO, SERENISSIMORUM Pomeraniæ Principum
Consiliario Primario,**

Fautori, & amico suo magno.

EXILIA HAECCE MEDITAMENTA, POLITICO-PHILOLOGICA;

OBSERVANTIAE SUMMAE, JUGISQUE MEMORIAE CAUSÆ, merito inscribit, censuræque ejusdem liberrima lubens submittit.

C. B.

Ad Lectorem.

Joannes Martinus Raufcher, Acad.
Tubing. Profefs.



*U, cui Regales Cæli Clementia fasces,
At aliâ Populos sub statione dedit;
Quæris, quo solide incedat Respublica talo,
Et serves Civem, quâ ratione tuum.*

*Cùm pariter Mavors, pariterq. instabit Egestas;
Nec fugiet partes ille vel illa suas?*

*Nùm Clarios ibis scitatum Oracula Delphos,
Frivola quâ fervent Augure verba Deo?*

*An Dodonæi sonitus queretur abeni,
Quæq. alias voces Pythica laurus habet?*

*Nil opus: Ecce tibi medio responsa Lycéo:
Publica Res Fisco Sospite, Sospes erit.*

*Sospite sospes erit Fisco Respublica. Ut ille
Floreat, ô vires subdite subde tuas!*


*Sed faciles vires modicasq., & mole carentes,
Ne subeas oneri civica turba tuo.*

*Ne vires Fisco & nervos dùm fortè ministras,
Viribus omninò destituâre tuis.*

*Nam juga detrectat nimium cogentia Taurus,
Et gravis exilem deprimit aura ratem.*

*Scilicet hic prudens finemq. modumq. potestas
Noverit, aquali debita lege jubens.*

*Unde etiam facilem jactans Respublica nummum,
Non tristi rigidum voce queretur onus.*



Discursus Politici

DE

Æ R A R I O

P U B L I C O,

C A P. I.

R E P U B L I C A M omnem aut Principatam, corpus esse quoddam civile; nemini non liquere puto, & id libro singulari, *Menenius Agrippa inscripto, Caspar Dornavius, probat.* Inibi, ut Consiliarii sedem vicemque obtinent Mentis; cui tota hominis paret natura: sic pecunia rerum gerendarum nervus habetur. *l. 1. §. in causâ. 20 ff. de question.* Sine sumptibus, non ulla Respublica consistit; opusque ei opibus est, sine quibus nil fiet quod opus: nervis hisce sumptuum publicorum, officia cuncta Magistratus, talem accipiunt vigorem; ut corpus Reipublicæ universum, & validiùs sustineri, & item moveri promptiùs possit. *Videatur Pet. Gregor. Tholosan. 3. d. Rep. cap. 1. à princ. Jul. Caesar Bulenger, tr. de Vectigal. populi Roman. cap. 3. à princ. Lal. Zecchius, d. Principe, lib. 2. cap. 3. num. 1. Pierre Matthieu, in Sejan. fol. m. 287. & seq. Jac. Bornitius, in Aerar. lib. 1. cap. 1. fol. 2. Zacharias Fridenreich/ polit. cap. 17. à princ. Hænonius, disput. polit. s. th. 72 in fundam. à princip. & novissimè Henr Klock, in elegantiss. suâ, de Jure vectigal. disputat. conclus. 1.* Pecuniâ Imperii fines defenduntur, Pauperes relevantur, benè meriti remunerantur: ut alia publica, eaque necessaria Reipublicæ negotia, quæ sine Numis haut expediri queunt, omittam. Laudatur à Celso Jureconsulto, in *l. si chorus 79 §. 1 ff. de legat. 3.* sententia Rusticorum antiquorum; Pecuniam sine peculio fragilem esse: Peculium appellantes, quod præsidii causâ seponeretur; eo ut necessitatis tempore uterentur. Id in rusticis si obtinet; quidni idem de Imperantibus pro-